Quelle: http://manuscripta.at/?ID=287
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

has herbas sc. kimyn et hurneyn et bile et sanaberis
cito Idem calcofanus lapis si portetur ab homine casto
vocem dulcem et sonoram reddit defenditque fauces a rau-
citate Quod vero vocem collit et raucam facit

Regius morbus est hictericia sic dictus quia vino bo-
no et regalibus dapibus facile curetur Sanatur
autem hic morbus ita quemadmodum supra dictum est de
hictericia et ibi quere supra

Renum dolor sive morbus sic curatur Mater
cinamomum sumptum reprimit dolorem renum
Idem renibus in tisana radix decotta medetur sc. ypiricon
Idem Galanga augmentat sumpta veneris renum-
que calores Idem apozima nardi indici purgat renes Idem
pionia iuncta cum amigdalis bene tritis et sumpta cum
mulsa iuvat renes Idem decoctio piretri in oleo et renes
ex eo inuncti fugat eorum dolores Idem plantago maior
potata dolorem renum et vesice iuvat Idem usus marru-
bii non convenit laborantibus morbo renum et vesice
plat. Corona regia renes mundat preterea urine asinorum
bibite confert contra dolorem renum ex humiditate crassa
Item si caro ericii siccatur et bibatur cum oximelle valet
contra dolorem renum liber rerum exagma ceci conficiunt
unguenta quibus dolores renes sedant lesionesque membrorum
Item ligurius lapis dolores renum placat

Reuma autem interpretatur fluxus et est infirmitas
proveniens ex superfluitate humorum unde reu-
maticus est patiens illam infirmitatem Et sanatur ita
reuma Mater expressus succus contriti seminis iusquiami et
sumptus reuma calidum compescit Thes. p. bacce lauri
buliantur in aqua et fumus recipiatur per nares frigidum
siccabitur reuma Idem suffumigatio in introitu lecti digne
de laudano et olibano positis super prunas nichil melius
reuma siccat et cerebrum confortat plat. Cassia lignea
valet contra frigidum reuma Item galbanum reuma pur-
gat Plat. ruta in pulverem redacta et inserta per nares
valet contra reuma Quere et supra de capite reuma
Renes vide alkatyn et ibi quere
Rigor est frigiditas et arriditas membrorum
Ructus est quando sapor cibi ad ructum reducitur Sed ructa-
tio est emissio fumosarum ventositatum de stomacho per os
Quere de hoc ante ubi analisis Item de suspirium infra
et ubi singultus
Ruga est crispatio vel contractio pellis sive cutis in homine
sene vel macilento vel in veste huius
Ruga est collectio et plica seu plicatio cutis cuiusque rei in unum unde
rugosus sa. Quere de ruga supra ubi faciei deformitas
Ruptura est hernia seu crepatura quere de hoc ante ubi
crepatura

Sequitur de morbis quorum no-
mina inchoantur ab S.
Alhafacti sunt pustule faciei seu
capitis vel rubor faciei
Sacer ignis est erisipila et
ibi quere supra
Salive augmentum Onix lap-
is infantibus ad colla suspensus saliva eorum auget
Sagis queratur infra de pestibus animalium
Sanguinis fluxus menstrui quomodo restringitur patet supra
ubi menstruorum fluxus restrictio et ibi est querendum
Sanguinis fluxus narium ita restringitur Thes.
p. Caveatur ne cingulum vel aliud strin-
gat corpus et teneatur manus plena herba sanguina-
ria i. bursa pastoris ante oculos et fixe aspiciatur so-
lo aspectu retinet narium sanguinem Idem succus mo-
relle ponatur super epar si fluat a dextra nare Si a si-
nistra ponatur super splenem et stringit Dyasc. pul-
vis fabe decorticate impositus naribus retinet sanguinem
et etiam vulnerum Thes. p. succus urtice fronti illinitus
stringit sanguinem sed naribus inmissus facit fluere
sanguinem Idem pulvis rasure cattabi vel sartagnis exiccatus
cum succo urtice confectus et inmissus naribus statim
retinet sanguinem Idem succus rute naribus infusus
retinet sanguinem Expertum Cinis foliorum et radicis
rute naribus infusus mire stringit sanguinem Item
millefolium suo odoratu vel etiam bibitum retinet
sanguinem sed naribus inmissum provocat Expertum in mulie-
ribus ponatur stupa intincta in albumine ovi super
mamillam partis fluentis cum succo morelle Idem testi-
culos   cum pla cum argilla et aceto et albumine
ovi statim confert Thes. p. fimus apri recens proprium
remedium est contra fluxum sanguinis narium hoc in
libro de naturis rerum Sed ego thomas dissolui eunde
fimum in aceto et timpibus apposui et caput maltum po-
sui sic curaui rectorem scolarum in gottse in schlauonia
Idem succus porrum stercor expressus et naribus inmis-
sis sanguinem stringit Auis cinis rane conbuste positus
super sanguinis fluxum e naribus statim retinet Expertum
si fluat sanguis a sinistra parte in viro ventosa super
splen ponatur si a dextra super epar Si autem in muliere
ponatur super mamillas ponat eadem ratione Gal.
iaceat supinus et nudus totus et destilla super faciem
eius aquam frigidam cum aceto et iuvat sic curaui sa-
cerdotem in schlauonia qui habuit fluxum ad tres
dies usque ad suffocationem Mater urtice succus aut
folium naribus impositus cruorem elicit in natura vis
est sibi tanta caloris sc. urtice Qui si manantem cupias